

Disputatio medica inauguralis de petechiis ... / [Johann Philipp Förtsch].

Contributors

Förtsch, Johann Philipp, 1652-1732.

Major, Johann Daniel, 1634-1693.

Universität Kiel.

Publication/Creation

Kilonii : Literis Joachimi Reumanni, 1681.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/knuf8dqe>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ΣΥΝ ΘΕῷ
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE
PETECHIIS,

Quam
JUSSU ET AUTHORITY
Gratiosissimi FACULTATIS MEDICÆ
COLLEGII
IN ILLUSTRI CHRISTIAN.

ALBERTINA HOLSATORUM

Sub Prædio

JOH. DANIELIS MAJORIS,
VRATISLAVIENSIS,
PRO LICENTIA


Summum in Arte Medica Gradum impetrandi

*Publicæ Philiatorum ventilationi
exponit*

JOHANNES PHILIPPUS FÖRTSCH/
Wertheimiæ Francus.

*Die Octobr. in loco, borisque consuetis,
Anno MDCLXXXI.*

KILONI,
Literis JOACHIMI REUMANNI, Typogr. Acad.
1681.





I. N. 7.

Petechiarum Naturam, B. L. paucis hisce pagellis pro viribus enucleatam exhibere animus est, macularum scilicet illarum purpurearum, hisce in oris quotannis ferè maximum timorem incutientium, cum febre tali, quam Campanella ipse non pro remedio, sed morbo gravissimo habiturus sit.

Contendit hic *l. 7. medic. c. 2. art. 1.* nullam febrem esse morbum, sed remedium contra morbos. **Quantum** bone Deus paradoxon ! Ipse quidem Hippocrates teste Joh. Ant. van der Linden *in Sel. med. Ex. 6. §. 59.* octies salutem arcessit à febre, in aphorismis, sæpiùs alibi, & testatur experientia, eam quandoque remedii Naturam induere, præsertim in affectibus soporosis, spasmo, tetano &c. Sed ex earum censu hanc nostram non esse patebit ex sequentibus : hæc enim

----- --- Intimas sæva vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus & venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.

ut Senecam Hippolyto a. 2. de amore loquentem hoc transferam,

Ignis hic microcosmicus quo mitior sub favillis quasi latens, externo quidem aspectu videtur, eò magis comes ejus individuus, malignitas scil. in vitæ thesaurum furit, spiritus prosternit, atque vires exhaustit. Cujus rei causas unā cùm remediis investigaturus DEUM benignissimum, qui nos percutit & sanat, ardentibus invoco precibus, mentem mihi dirigat & calatum, quo morbi obscuri clare detegam vestigia ad mortem & celeriter & certò plerumque ducentia.

§. I.

Petechiæ, licet nihil aliud sint quàm maculæ istæ purpureæ in febribus pestilentibus & malignis in toto corpore præcipue in lumbis, pectore & dorso apparentes, Synechdochicâ tamen quadam locutione subintelligitur febris ipsa, quemadmodum variolarum, morbillorum & aliorum affectuum nomina usurpari cernimus, dum pravam valitudinem ab eo, quod potissimum in sensus incurrit, denominamus.

§. II.

Dicuntur petechiæ quasi pestichiae à peste, cujus naturam ratione veneni & contagii æmulantur. Quod nomen Itali ipsis primùm indidere. Scribit enim Fracastorius 1505. & 1528. in Italia has febres primùm apparuisse, & antiquis incognitas fuisse.

§. III.

Vocantur vulgò etiam puncticulae, quia punctibus aut morsibus pulicū similes sunt. Lenticulae à similitudine lenti. Purpurae, quia ut plurimum colorem purpureum

um obtinent ; interdum tamen sub alia colorum specie apparent. Hinc febres petechiales, puncticulares, lenticales, purpuratæ &c. German. **Das Fleck-Fieber / die Sprinckeln.**

§. IV.

Notandum tamen, prædicta nomina interdum non-nihil generalius sumi, nempe pro omnibus maculis pulicorum morsibus similibus, etiam iis, quæ solùm à sanguinis fervore & naturæ robore oriuntur, quas Hippocrati notas fuisse, & peculiari nomine à Zac. *in obs. admir. l. 3. obs. 14.* *Culiculares* febres vocari, testatur Jonston. *iu Syntagm. p. 3. l. 2. tit. 7. cap. 2.* quarum exempla quædam habet Forest. *l. 6. observ.* Ita & purpuræ vox interdum significatione quadam generalissima omnes maculas rubeas, etiam in cæteris malignis aut non malignis, præsertim in morbi progressu interdum apparentes denotat, v. gr. quando in Infantibus à lacte calidiori oriuntur, ubi elevantur & extuberrant pori cutis, cum rubore, instar cutis anserinæ; Lipsienses & finitimi Saxones vocant purpas.

§. V.

Petechiæ quando apparent cum symptomatibus infra notandis, juxta Riverium febris pestilentis indicium præbent certissimum, hinc *ψευδοpestis, Semipestis* non immerito dicitur hæc febris.

§. VI.

Quamvis quidam putent, Græcis has febres olim incognitas fuisse, alii tamen dicunt, has maculas esse illa-

κανόπων αναδείγματα & ἐνθύματα de quibus Hippocr. in Epidem. loquitur, quibus Riv. in prax. contrarius est, ajens: ea Hippocr. *ἐνθύματα* apparere quoque interdum in febribus pestilentialibus, habere tamen eminentiam & esse de genere tumorum, qui ad suppurationem vel exulcerationem quandoque deveniunt. Quod quidem de quibusdam locis Hippocr. verum est, ast maculas quæ fullonem Phreneticum 8. die cum gravissimis symptomatibus invaserant *l. s. Epid.* non immerito ad petechias refert Jonstonius. Puto igitur hunc morbum esse unum existis, qui & nobis & veteribus fuit familiaris, formam tamen suam quodammodo mutavit, & nunc sub alia specie se prodit, adeo ut novus putetur. Tripliciter enim novi morbi dici possunt 1. modo prædicto 2. si nullo prorsus modo in regione quadam antea grassati fuerint 3. qui alibi quidem deprehensi, apud nos autem nunquam visi, tandem vero ad nos inventi, ut optimè notat Sebizius in *Man. Med. pr. p. 9. c. 2.*

§. VII.

Lues pannonica quibusdam vocatur, quia in ea primùm increbuisse dicitur; ast febri potius Hungaricæ nomen hoc competit, quæ 1566. Maximiliano II. Roman. Imper. contra Solymannum exercitum ducente, immaniter primo quidem in Hungaria postmodum Viennæ & reliqua Europa sæviit.

§. VIII.

Ne autem in hisce nimis sim prolixus proprius ad rem accedo & dico: (Definitio) *Petechias esse maculas cuius pul-*

licum morsibus similes , à sanguine ob malignam ebullitionem coagulato productas & ad poros cutaneos effusas, cum febre, ast absque pruritu & exulceratione. Petechialem autem febrem dico esse febrim malignam , cum maculis insente ut plurimum purpureis.

§. IX.

Ex malignarum censu esse, nemo jam dubitat, quamvis Pereda teste Sennerto olim id fecerit , de qua re vid. tract. de febr. p. m. 539. Symptomatum vehementia, summa ægrorum strages & magna contagii vis satis eam videntur demonstrare. Imo non solùm maligna sed & pestilens dicenda , accuratè enim loquentibus hæc distinguuntur, potestque maligna esse quæ non sit pestilens, quamvis non vice versa. Si enim febris exoriatur, quæ plures in eadem regione degentes eodem fere ritu simul afficiat, quæ tamen decursu suo vulgares leges observet & fere simili modo judicetur (nisi quod in aliquibus insigni caco-chymia laborantibus , bubonum aut macularum apparentia , crisi interdum funesta , & contagio in alias serpentes malignitatis majoris signa prodit) hæc minime pestilens est, sed, tantum febris maligna dicenda , juxta Willis. de febr. c. 19. Sin solito more non judicetur, vires sine causa manifesta nimis prosternat, contagiosa nimis sit, sicuti purpura-tæ pleræque, pestilentialis omnino dicenda.

§. X.

(Subj. Macul.) Exanthemata hæc quamvis teste Fer-nelio 4. patbol. c. 3. interiora viscera occupare possint, æque ac variolæ & morbilli, cutis tamen externa potissimum illa-

illarum sedes est. Erumpunt autem in partibus, per quas insigniores venæ & arteriæ transeunt, & quæ ab aere immunes sunt, hinc in facie non apparent, nisi maxima adsit materiae copia, hinc res periculi plena est.

§. XI.

(Subj. feb.) De febre ipsa si nobis sermo est, cor omnium febrium principalem sedem primariò hic affici dicimus, nisi enim calor qualiscunque etiam ad cor redundet & exinde in totum corpus, nec Veteres nec moderni pro febre habent, minus autem principaliter ipsam Massam sanguineam, cuius particulæ Sulphureæ supra modum incandescentes velut incendium concipiunt & venenatæ materiae vi ad putredinem & plerumque tandem ad coagulationem tendunt.

§. XII.

(Subj. Causæ) Ista materia aut vapor venenatus non semper ab aere aut contagio oritur, sed à morboſo corporis apparatu interdum provenit, & diu ante in corpore latere, potest tum in ventriculo, tum in epate & aliis visceribus, donec talem attingat malignitatis gradum & nobilissimo membrorum noxam communicet. Ne autem quis miretur, quod dicamus materiam venenatam diu ante in corpore latere posse, ipsi ostendimus tot & tanta venena etiam putrefactoria, quæ suapte Natura tam tarda sunt ut longo temporis decursu demum virus suum emittant, interea in corpore latitant exitiale moram gravissimis denique symptomatibus compensatura. Noto notius est, eò jam de-

devenisse curiosissimos quosdam in Gallia, ut veneno qua-
si momentum imprimere queant & imperare, quo vel post
biennium & ultra suum furorem emittat. Si Galeno &
ejus asseclis credimus sanguinem menstruum, semenque
corrupta, diu saepe latere & tandem venenata fieri, sicut
Gal. 6. de loc. aff. c. 8. demonstrare conatur ; quid obstat
quo minus id fiat in materia dicta venenata.

§. XIII.

(Differentiæ) Patet igitur ex antedictis, non unius e-
jusdemque Naturæ esse febres petechiales, dum alia est ab
aere & Contagio, ab internis causis alia ; exinde distinctio
in petechiales Epidemias & Sporadicæ oritur ; Si enim ab
aere, epidemiacæ sunt plerumque ac plures simul invadunt,
sin ab internis causis & morbo so corporis apparatu, spora-
dicæ sunt & solummodo unum aut alterum in toto regio-
nis tractu corripiunt. Ille plerumque maligniores & ma-
gis deleteriæ sunt hisce. Utriusque tamen iterum alia
differentia est, ratione propriæ Naturæ & essentiæ. Sici-
ti enim pestis à peste differt, sic febris petechialis à febri
petechiali.

§. XIV.

Ad quem autem cæterarum febrium censum hæc
nostra referenda sit, à variis variè disputatur. Quidam
putant dari petechiales Ephemeras, Synochos, hecticas,
&c. Ut verò paucis dicam, statuo ad solam continuarum
& quidem utplurimum putridarum classem pertinere,
nullam enim intermissionem concedet veneni malignitas
actu jam affligens, quamvis Neucranzius id se vidisse dicat,

putans tum labem in ignobilibus membris latero, & per intervalla affligere, sed non video, quomodo cum dispositio-
ne venenata, quæ in sanguine jam gliscit, possit consistere,
præsertim dum ad coagulationem tendit : nisi quis dicat,
malignitatem tum exiguum esse, febrem verò majorem
(habet enim tum malignitas tum febris suam latitudinem
suosque intensionis gradus) Naturamque fortè materiam
in uno paroxysmo adustam sufficienter foras expellere,
quietamque manere M. S. donec à novo fermento nova
excitetur fermentatio. Petechiale verò ephemera-
dari, omnino dubito, nec concedo istas maculas, quas Ni-
col. Massa *tr. i. de febr. pest.* in tali febre se observasse pu-
tat, pro veris petechiis habendas esse. Eodem modo cum
Fernelio & Salio Diverso negare mallem dari Hecticas pe-
techiales, quām id cum Montano, Vallesio & Massa statue-
re nisi quis per similitudinem ita vocare velit ; Sequi verò
posse Hecticam ejusmodi febres facile concesserim.

§. XV.

Ipsæ porro maculæ sunt vel maiores vel minores; co-
piosæ vel paucæ, idque vel à copia & corruptione materiæ
vel Naturæ robore ; omnia enim hæc prædictam quanti-
tatem ita determinare valent, ut nullum certum prognos-
ticum ab ea desumere liceat. Aliquando ait Riverius,
sunt amplissimæ & partes integras occupant tumque par-
tes rubore infectæ apparent, qui intra paucas horas sæpe
evanescit, atque iterum revertitur, quasi per paroxysmos:
dum febris suas patitur exacerbationes, in quibus sanguis
ebulliens ad superficiem corporis exhalationes tenuiores
emittit.

§. XVI.

§. XVI.

Ratione coloris variæ sunt : rubræ ut plurimūm, quia sanguis purus malignæ hujus putredinis vitium plerumque concipit, adeo ut ad hunc analogiam quandam habere videatur, hinc speciosus ille macularum color, hinc effusæ hæmorrhagiæ narium, uteri, & quæ ex viscerum venis prodeunt dysenteriæ, juxta Neucranzium, qui observavit sanguineæ complexionis homines præ cæteris hoc morbo correptos fuisse. Rubræ igitur sunt, quando particulæ oleosæ in sanguine cæteris bene sunt commixæ. Ubi vero Sulphureæ præpollent, flavæ vel virides videntur, Lividæ verò & nigræ à sanguine nimis assato fæculento & terrestri oriuntur.

§. XVII.

Purpuræ proximam causam statuunt humorem putridum venenatis qualitatibus instructum ejusque partem tenuiorem coagulatam dicunt expelli à facultate expultrice; quod ita concipio: Sanguine fermento quodam maligno infecto & nimis in vasis effervescente, inter deflagrandum particulæ Salinæ volatiles Sulphureis impurioribus implicatae à reliqua massa separantur, atque à fermenti singulari tandem coagulantur, dum ad extimam cutim protruduntur; Quæ protrusio partim à Naturæ robore, causam morbificam subigentis, partim à malignitate materiæ Naturam irritantis, aut ut duobus verbis innuam Criticè vel Symptomaticè expelluntur. Illæ quidem apparent cum signis concoctionis die 7. aut 9. suntque potius

vitæ quām mortis præcones, præcipuè si vires constent, respiratione salva, nec febris adeo vehemens sit. Voco hanc expulsionem Criticam, non quidem simpliciter, sed quia αναλόγως huc potest referri. Hæ vero purè symptomatice in principio statim erumpunt & magnum metum incutient; indicio enim sunt, venenum se statim explicare, & coagulationem inducere, quæ coagulatio non fit absque putredine præcedente.

§. XVIII.

Per putredinem autem nihil aliud intelligo quām dissolutionem Massæ sanguineæ, ita ut particulæ à se invicem secedant cum Spirituum vitalium deperditione. Veteres quidem putredinem & corruptionem sanguinis à veneno nobis imperceptibilem statuunt, & ratione modi & ratione causæ, putantque omnia venena occultâ sibique specifica qualitate agere; hinc aliam esse corruptionem in variolis & morbillis, aliam in peste, aliam in morbo canis rabidi &c. Imò videtur sæpe venenatum miasma certam corporis partem peculiariter respicere, v. gr. quando in febri epidemia quadam plerisque angina, aut pleuritis, aut dysenteria, aut aliud grave Symptoma inducitur, ubi semina contagiosa tanquam specifica quadam designatione semper eosdem fructus proferunt.

§. XIX.

Quid hac de re statuendum sit, mearum quidem non est virium decernere, cum negari nequeat, modum, quo in ejusmodi affectibus sanguis corruptitur, non semper esse notum. Puto tamen multa occultis qualitatibus attri-

tribui, quæ ex manifestis sæpiissimè possent explicari. Pleraque malignarum febrium fermento quodam coagulante pollent, imo pestis ipsa aliter non agit, quam per sanguinis & spirituum subitam coagulationem atque putredinem. Hinc Simon Paul. in digr. de febr. mal. affirmat, sed in venis maligne ægrotantium sanguinem sape omnino concretum reperiisse. Interdum etiam ad modum lactis sanguis ceu per coagulum coire potest. Dicimus igitur efflorescentias purpureas esse sobolem coagulati sanguinis subtillioris ; Coagulatio unde ? à fermento maligno sanguini extrinsecus advecto, aut intus nato, non tantum bellum intestinum in M. S. movente, augendo motum ejus fermentativum, sed præterea , vi præcipitante & coagulante prædito, uti jam dictum. Massæ particulas subtiliores hic peculiariter affici, patet exinde, quia & citò fiunt & citò evanescunt petechiæ suntque sine omni extuberantia pruritus & ulceræ, qua re moti quidam causam proximam vaporosam statuunt materiam, sed res eodem recidit, sive vaporosam materiam , sive partes subtiliores sanguinis statuas. Cur autem ad suppurationem non tendunt? Ratio hæc esse videtur, quia fermentum malignum participat de natura salis alcalini. Pus autem ab acido profici sci dicitur.

§. XX.

Si ab aere & contagio non oriatur purpura , sed ab interino humorum apparatu , hi in corpore nostro latentes, antequam actu tam malignum vitium contrahant, antecedentem causam constituunt. An vero & quomodo talis humor in corpore generari & tam diu in corpore la-

tere possit paucis supra innui qui iis contentus non est, ad-
 eat Sennert. *in Instit.* l. 2. p. 2. cap. 12. *Zacut. libr. 1. med.*
princ. hist. 52. dub. 28. Neucranz. de purpura cap. 8. Om-
 nium sententias huc transcribere nec tempus nec insti-
 tuti mei ratio permittit. De contagio verò hic multa pos-
 sent adduci, sed rem paucis complectar. Notum est, u-
 numquodque corpus tum in statu naturali tum præterna-
 turali maximam halitum copiam emittere per poros cu-
 taneos, de qua re Sanctorius integrum conscripsit tracta-
 tum. Mediantibus hisce effluviis mirâ canes pollent ad
 indagandum sagacitate, nisi quis cum Corn. *Conf. pro-*
gymn. 1. p. m. 73. ad peculiarem quendam eorum sensum
 nobis incognitum eandem referendam putet. Si igitur
 Massa sanguinea, tum quoad motum localem tum fermenta-
 tivum rite se habeat, effuvia illa etiam naturaliter se ha-
 bebunt, nec ullam noxam causabuntur; Si verò semina
 maligna in sanguine lateant, paulatim totam massam infi-
 cientia, illæ exhalationes etiam in minima copia aliis cor-
 poribus communicata, eundem ibi excitant tumultum ac
 in corpore, è quo exierant. Afficiuntque ut plurimum
 insensibiliter; interdum tamen odor quidam fracidus, na-
 res stimulans observatur. Porrò ista communicatio fit
 aut mediatè aut immediatè. Mediata quidem per aerem,
 immediata per contactum corporeum, ut si quis vesti-
 mentis ejusmodi malignis seminibus refertis se vestiat, aut
 æ gri corpus immediatè tangat. Hinc sàpe ratio sym-
 ptomatū deducenda videtur, si in illis magna diversitas
 appareat. Si enim per aerem communicatur contagium,
 potius id fit per inspirationem, quam per transpiratio-
 nem,

nem , hinc cor & ventriculus & citius & gravius afficiuntur, illud quidem per aerem attractum à pulmonibus, hic autem à vitiata saliva. Apparent tunc signa ventriculi maximè affecti , dum fermentum malignum cum saliva advectum ventriculi proprium statim destruit ejusque actiones pervertit.

§. XXI.

De Chymicorum fundamentis præter spiritus Salino Sulphureos arsenicalia & auri pigmentalia semina coagulatos fructus proferentia accusantium , hic non ero sollicitus , multò minùs de Cartesii particulis improportionatis aut Tachenianorum acido & alcali aliorumve opinionibus facile permittens ut suo quisque abundet sensu.

§. XXII.

Inter remotas causas Temperamentum occurrit, cuius nullum genus exemptum hīc est, imo quo salubrius, eò magis huic morbo obnoxium est : Dictum enim fuit supra , sanguinem puriorem malignæ hujus putredinis vitium plerumque concipere. Hinc videmus solà sanguinei humoris prava corruptione petechias sporadicæ quotannis ferè, præcipue circa autumnum hinc inde enasci , & juniores ut plurimum invadere ; hinc communis fama fert in tractu Eiderstadiensi plurimam mortalium partem in flore juventutis petechiis interire. An non commune dicterium maximè hic locum habet, quo quid ortu suo præstantius, eo facilius & deterius corruptitur, quod etiam videmus in ovis, lacte &c.

§. XXIII.

§. XXIII.

Inter procatarcticas aeri primus debetur locus, per quem & gravissimæ & frequentissimæ febres petechiales fiunt, & si ullibi certè hic locum habet τὸ θεῖον Hippocraticum aeris scil. ambientis contagium vel per inspirationem communicatum. Qua ratione verò hic concurrat, in dubio est, cum ipse in se & sua Natura & omnis corruptionis expers sit. Paracelsistæ, & speciatim Severinus Id. Med. c. 12. p. mihi 145. Seminibus certis & proprietatibus omnia adscribit, dicens : *Impressiones & fructus cœlestes, non calefactione, humectatione, exsiccatione, refrigeratione morborum cause fiunt, sed quia proprietates & tincturas trium principiorum introducunt Sulphureas, Mercuriales, aluminiosas, acetosas, urticosas mannae potestatibus insignitas, lactucosas, papaverinas &c. caliditates, siccitates, humiditates, frigiditates, tanquam externæ signaturæ concurrunt & potestatum proprietatum ac tincturarum comites sunt & umbrae.* In specie e. g. austrinam temporis anni constitutionem ait continere proprietates Sulphureas, Mercuriales, interdum arsenicales, auri pigmentales, & prout ejusmodi tincturæ leviores aut graviores fuerint, eò leviora vel graviora oriri symptomata, ubi non parum conferat, si confluentiam & hospitalem locorum societatem invenerint, vel impotentiam balsami innati & peregrinis impressionibus jam imbuti.

§. XXIV.

Hæc non omnino rejicienda sunt, nam nec Medici dogmatici qualitatibus primis omnia adscribunt, statuunt enim

enim Aerem vitiosum fieri triplici ratione. 1. Si salubribus ventis non diffletur. 2. Si putrium ac foetidarum exhalationum inquinamento polluatur, quod è variis locis exsurgere potest, stagnis, lacubus, paludibus, strage cadaverum, fodinis &c. & sic utique abundare potest effluviis arsenicalibus, auripigmentibus &c. quæ tamen non sunt semina astrorum sed exhalationes terrestres, metallicæ &c. Nolim tamen negare omnem malignum Syderum influxum præter aeris mutationem (quâ morbus causatur) occultâ quadam vi absque qualitatum primarum excessu malignitatem sæpe generantem, de qua re prolixè differenter Riverium vid. l. 17. cap. 1. prax. 3. Dicunt aerem vitiosum fieri si primæ qualitates excedant, quas Sennert. *Consens. & Diffens. c. 8.* non immerito validissimas esse ait. Si igitur magna contingat temporis mutatio excedentibus primis qualitatibus, atque diutius duret, aer facile talem labem contrahere potest, quæ purpuræ portas aperiat, præsertim humidus tanquam genitor putredinis.

§. XXV.

Pravus victus quod omnis generis morbis foris patentes reddat nemo sanè negaverit. Sic secale, triticum, hordeum & aliæ fruges vel ex prava anni constitutione corrupti, vel diutius asservati ut qualitatem quandam putredinosam acquirant, ut in obsidionibus sæpe contingit ratione graduum corruptionis & temperamentorum mox petechias, mox alias malignas imo ipsam pestem generant. Fructus quoque fugaces ad cruditates humoresque putridos generandos etiam multum possunt contribuere.

§. XXVI.

Motus & nimius & deficiens petechiarum causa esse potest ; hîc enim calor non eventilatus, effluvia retinentur hinc impuritates paulatim cumulantur ; Illîc humores vitiosi in corpore latentes, sâpe in actum deducuntur.

§. XXVII.

Idem dicendum de somno & vigiliis nam juxta 2. aph. 3. si modum exceſſerint malum.

§. XXVIII.

Evidentior est excernendorum retentio & retinendorum excretio, quorum alterum cruditates auget, alterum vires exhaustit & corpus maximè imbecille reddit.

§. XXIX.

Animi affectus immoderati, quomodo corpus exagitent, notissimum est. Præ ceteris tamen notandus venit metus aut timor, qui solus grassante præsertim febri ad contagium communicandum sufficit. Paracelsus hic omnem Vim Phantasiæ adscribit, & putat hanc efficacius ipso aere infecto in nos operari. Sed insufficiens est ista sententia, nullam enim phantasia in hisce determinatam actionem habet, hinc dicamus metum istud causari, quatenus spiritus introrsum revocat & vires adeò frangit ut postmodum veneno resistere nequeant. Sâpe fit ut semina jam intus abscondita sint, sed ob vigorem spirituum non potuerint in actum deduci quod demum contingit viribus per metum exhaustis.

§. XXX.

§. XXX.

Causarum denique agmen concludunt mediatæ remotiores præter naturales, suntque pleuritis, angina, perinpevmonia aliarumque partium inflammationes malignæ, quæ sæpe petechias præcedunt, traducta ea parte affœcta ad totum corpus maligna qualitate. Interdum febril. intemperiei à causa sua etiamsi non maligna inductæ, malignitatis semina adveniunt, etenim teste Willisio *de febr. c. 19. crebrâ observatione constat, tempore quo febris epidemia grassatur, alias quocunque modo ortas in ipsam migrare.*

§. XXXI.

Venio ad dignotionem quæ sicuti in cæteris malignis ita & hic admodum incerta & fallax est , præsertim ab initio , adeo ut nullum pathognomonicum signum adduci queat. Fatentur enim Medici etiam Argo occulatores se ab insidiosissimo hoc hoste sæpiissimè deceptos esse. In principio enim , uti dictum sæpe omnia secura videntur, pulsus bonus Urina sanorum similis , supervenientibus paulo post clarissimis malignitatis signis, hoste aperto Marte agente. Nec semper eadem adsunt signa , alii enim aliis vexantur symptomatibus.

§.XXXII.

Unde verò tanta symptomatum diversitas sit non immeritò quæritur ? Chymici ad qualitates suas jam arsenicales , jam auripigmentales configuiunt, putantes eas omnes ejusmodi affectionem specificè determinare, & negari nequit cuilibet suum virus specificum esse. Cum enim

enim illa deleteria veneni qualitas non semper eadem sit, sed interdum pesti maximè similis, & omnino contagiosa, interdum metus perniciei & contagii absit , satis apparet specificâ quadam ratione petechias à petechiis differre, quas qualitates si quis cum Spagyricis Antimoniales &c. nominare velit, cum eo non litigabimus. Major tamen diversitatis ratio à cuiuslibet temperamento & viribus desumenda, ut & à loco ubi materia corruptionis & putredinis initium sumit Itidem à contagio mediata vel immedia-
tè communicato. vid. *supra* §. 21.

§. XXXIII.

Si igitur ullum malignitatis signum appareat , suspe-
cta omnia habeantur ne nobis imponat febris , uti monet Sennert. de febr. Malignitatis autem indicium est, si præ-
ter febris morem symptomata sint vehementia utpote :

1. Subita & inexpectata virium dejectio, non tam
à calore ingenti Spiritus vitales subito dissipante , quam à
veneno cordi & Spiritibus infesto orta.

2. Pulsus debilis & inæqualis ob causas prædictas,
frequens præterea, ut quicquid valori decedit , celeritate
compensetur. Quò major malignitas eò minor & fre-
quentior pulsus.

3. Febris ut plurimum mitior ab initio, brevi tamen
temporis tractu accensis particulis sulphureis magnum in-
terdum sanguinis incendium sequitur.

4. Inquietudo & anxietas quam fieri puto à parti-
culis sanguinis coagulati dum in cordis sinus deferuntur,
ibique stagnant adeoque Syncopen & lipothymias comi-
tes sæpe habent.

5. Tum verò certissimum signum habemus cum ejusmodi particulæ coagulatæ ad extimam cutim protrusæ, ibidem sub forma morsuum pulicorum apparent.

6. Si hæc lues spiritus animales quoque inficit, non mirum est si exinde magnæ anomaliæ sequantur, ut sopores, artuum tremores, deliria, motus convulsivi &c.

7. De reliquis symptomatibus benignioribus febribus communibus nihil dicam, v. gr. de nausea, vomitu, siti inexplebili, lingua sicca, aspera nigra, &c. partim ab humoribus acribus, partim à fuliginibus calidis & siccis orientibus.

8. Ante omnia attendendum an ejusmodi febres grassentur, tuncque contagii metus signum non ultimum præbet ; & notatum jam fuit ex Willisio , si febris epidemia grassetur , alias quocunque modo ortas in ipsam migrare. In prædicto tractu Eiderstadiensi , si petechiæ grassentur, puerperæ pleræ, quæ malè affectæ, iisdem corripiuntur.

§. XXXIV.

Signis distinctivis multis non est opus, addam tamen quædam. A morsibus pulicorum distinguuntur, quia nullum morsus vestigium apparet ; ab aliis maculis ex. gr. scorbuticis, lentigine &c. distingvuntur figurâ, magnitudine, febri.

§.XXXV.

Ratione prognoseos tota spes in virib[us] consistit, nullum enim ab aliis certum indicium desumere licet. Sic maculæ copiosæ & quæ malæ sunt ac paucæ , illæ materiæ

copiam significant, hæ sèpissimè debilitatem Naturæ. Sic æquè pravum est, si citò appareant quàm si tardius ; hoc enim si fit delitescunt in corpore , alioque materia viam affectat ad caput, ad cor &c. juxta Sennertum, aut Natura adeo imbecillis est ut expulsionem moliri nequeat. Illud si fit, vehementiam malignitatis & copiam materiæ manifestè arguit. Quæ tamen septimo die erumpunt pro Semicriticis adeoque bonis habentur, præsentibus aliis signis bonis. Quoad colorem rubræ pro tutissimis habentur, citrinæ vel cineritiæ pro malis, lividæ, puniceæ, virides, nigræ pro pessimis , ut & si eodem tempore versicolores existant uti notat Jonston. l. 2. tit. 7. c. 2. art. 3. p. 3.

Ut breve dicam, Effatum Senis Coi 2. aph. 19. hic maximè locum habet : *Morborum sc. acutorum (multo potius eorum qui malignitatem conjunctam habent) non omnino sunt certæ mortis & salutis prædictiones.*

§. XXXVI.

In Curatione duplicem respectum febris nempe & malignitatis omnes Medici urgent. In malignitate iterum considerandum an ab aere & contagio sit , an à pravo humorum apparatu ; Si illud, statim ad alexipharmacæ & sudorifera confugiendum esse monet Sennertus. Quia verò contagium non eodem modo sese multiplicat uti supra §. 21. dictum , hinc regulæ huic exceptionem adjungendam putarem , nempe si mediante aere communica tur, vomitoria sudoriferis præmittenda esse , rationem vide loc. cit. Ut verò ordine procedam ex triplici præsidiorum fonte Chirurgico nempe Pharmacentico & diætetico pro

pro viribus exponam quomodo & quibus indicationibus satisfaciendum sit.

§.XXXVII.

In fonte Chirurgico occurrit 1. Venæ Sectio, quæ ratione febris suaderi posset, nisi malignitas contrarium indicaret. A phlebotomia nihilominus inchoat Riverius, etiam prævalente malignâ & venenatâ qualitate ; in qua tamen minori copia mittendum dicit, Sin febris major sit malignitate, sanguinem non solum copiosè mittendum putat, sed iterandam Venæ Sectionem. Quod quidem in Gallia facile quis imitari posset, nostri verò Germani tam sanguinis profusionem non sustinent. Si quis tamen deperditione hujus vitæ thesauri delectetur, is ante 4. diem secet venam, postea enim nequaquam id faciendum plurimi suadent Practici. Memini quidem cum Frfordiæ studiorum gratia commorarer Medicum quendam felicissimum virginis cuidam maculis jam abunde apparentibus venæ sectionem fvasisse, quâ celebratâ, subito omnes disparuere maculæ ægraque sanitati sine aliorum usu ex templo fuit restituta. Postea verò didici apparere aliquando in aliis affectibus citra febrem malignam maculas, petechiis similes, sed à diversissima causa productas, à sanguinis scilicet nimia tenuitate ; dum ille à calore agitatur extra capillares venas in cutim effunditur ibique diversos colores assumit. Prædictæ virginis id contigisse puto, quis enim unica hac falce & malignitatem & febrem amputatam fuisse crederet.

§.XXXVIII.

Non possum quin monitum Willisi hîc in medium pro-

proferam qui experientiam hīc potissimam medendi rationem suppeditare ait : cum enim hæ febres (sunt ejus verba) primo grassantur singuli ferè singula tentant remedia & ex eorum successibus unà collatis facilè ediscitur quali demum methodo innitendum erit donec ultimò crebro tentamine seu transeuntium vestigiis via quasi regia & lata ad hujusmodi affectuum rationem teritur , variisque observationibus monitisque munita. Ad hanc Willisi legem si Venæ Sectio multis prodesset , nec ego ab ea abhorrerem , aliàs sudoriferis & Alexipharmacis primum locum relicturus. Ne cui abscona videatur prædicta sententia , ille consideret , quod jam dictum est , non omnes febres petechiales ejusdem Naturæ esse , sed insigniter inter se differre. *Quare nec iisdem semper curari volet remedium, ac futuris, si quæ Deo volente erunt, seculis morbi caci & maligni nascentur, petechiis insigne, qui medentium ingenia exercere ac imperitorum credulitatem apprimè ludere possint ; uti loquitur Neucranz. de purp. c. 10.*

§.XXXIX.

Post Venæ Sectionem revulsiones vulgo dicta suadent per cucurbitulas , ut malignitas illa ad peripheriam & partes remotiores retrahatur. Possunt eæ scapulis & dorso, brachiis & pedibus applicari. Zac. Lusit. Obs. 1 3. l. 5. prax. adm. scarificatas propè inguina & axillas admotas commendat. Si malignitas magna sit, scarificationem rejiciunt , aut levissimam duntaxat permittunt. Quidam etiam ad vesicatoria deveniunt ob prædictam causam ut & frictiones. *Quæ omnia tamen apud nos raro in usu sunt.*

§.XL.

In fonte pharmaceutico occurunt; **Purgantia**, quæ ab omnibus ferè rejiciuntur, ob metum retrocessionis & fluxus colliquativi mortis plerumque in hisce febribus prodromi. Aut subsistendum fuerit in laxantibus & lenitivis. Ego, si nausea & oris amaritudo mihi redundantiam humorum pravorum in ventriculo indicarent sine metu sequens aut similia præscriberem:

Recip. decoct. Tamarind. unc. tres, dum adhuc callet inf. rhab. drachm. semis. Santal. citrin. Scrupul. j. stent per noctem manè exprim. add. mann. cum aceto irror. Unc. semis. Syr. de ros. sicc. drachm. vj. M. f. haustus.

Vel Recip. Cristall. Tartari drachm. semis, rhab. elect. Scrup. j. Nitri Antimon. Scrupul. semis M. f. p. unica vice sumendus.

Sin prædicta symptomata abessent, alvusq; occlusa urgeret
Clysteribus illi satisfacere. eg.

Recip. decoct. flor. & fruct. unc. viii. adde ol. rut. viol. à unc. semis, Elect. lenit. unc. j. Nitricum Antimonio fixat, drachm. sem, vitell ov. num. j. M. f. Clyster.

§. XLI.

Vomitoria Frider. Hoffmannus in meth. l. i. c. 9. Si maligni humores in ventriculo stabulentur, statim ab initio adhibita, antequam totam massam venenato inficiant fermento, summe proficua esse ait. Hartm. quoque in præxi Chym. exsertis verbis dicit in febribus malignis curan-

dis non posse feliciorem modum inveniri, quām qui à vomitione incipit. Inter ea autem excellunt. Oxyfacch. emet. A. Salæ Syrup. emet. ZW. Tartarus emet. Myns.

Recip. Aq. card. ben. unciam unam cum semiss. Oxyfacch. emet. A Salæ drachm. vj. D. S. **Brech// tråndflein auf ein mahl.**

Recip. Aq. raph. unc. ij. Syr. emet. drachm. v. M. D.

Recip. Tartari emet. Myns. gr. iij. D.

§. XLII.

Diaphoretica & sudorifera tum in omnibus febribus exceptis inflammationibus internis, tum præcipuè hic maximè appropriata sunt remedia, sine quibus rarò febris aliqua curatur, sine recidivæ metu.

§. XLIII.

Sudorifera alexi pharmacis miscenda, & mox in principio antequam putredo invalescat, danda esse monet Sennert. Videturque Natura ipsa monstrare viam, dum spontaneo motu ad extima corporis materiam coagulatam exterminat ast juxta aph. 21. s. 1. quæ ducenda sunt, eò ducenda quò maximè Natura viam affectat per loca lege Naturæ commoda. Interea excellunt: pulv. Cæs. rub. Bezoard. Sennert. mixtura f. Spir. & Sal. vol. C. C. confect. de hyac. Spec. liberant sem. card. ben. citri, C. C. phil. Antimon. diaph. &c.

§. XLIV.

Si calor febrilis magnus est nimis fortia non danda, ne major excitetur ebullitio. Emulsio Cratonis à multis magni aestimatur.

Recip.

Rec. Semin. Card. ben. drachm. j. sem. citri. drachm. sem.

Napi drachm. j. aq. card. ben. unc. iijs. f. l. a.

Emuls. adde Syr. acet. citri unc. ss. M. vel loco

Syrupi sumi possunt rotul. man. Chr. perlat.

Recip. C. C. sine Δ dr. j. bol. armen. terræ sigill. an.
dr. sem. Antimonii diaph. Scrup. j. M. f. pulvis
auff etliche mahl.

Recip. pulvis Bezoart. Sennert spec. de Hyacinth. an.

Scrup. unum Elæofacch. citri Scrup. sem. M.
auff zweymahl.

Recip. pulv. pannon. r. drachm. sem. lap. Bez. orient.

Antimonii diaph. an. Scrupul. sem. M. **auff zweymahl.**

Si malignitas febre major sit: Recip. aq. theriac. unc. j. ga-
leg. Card. ben. an. unc. iss. elect. diacord. drachm. j. Syrup.
è cortic. citri unc. ss. M.

Tinctura itidem bez. bez. minerale, Martiale, So-
lare troch. deviper. &c. ex quibus plures formulæ concin-
nari possunt, quibus hic non opus, in cathedrâ enim mor-
bus hic curatu non est difficilis.

§. XLV.

Bis in die sudandum est manè & vesperi, modo id
vires permittant ; continuandus sudor 1, 2. horas. Per-
actâ sudatione æger bene abstergendus, linteamina mu-
tanda. Inter sudandum linteis & aliis integumentis ne
cumuletur nimis, quibusdam enim mortem accelerasse
legitur.

§. XLVI.

Post sudationem Roborantia danda vg. Confect. de
hyac. Alk. ut & pro siti restinguenda Julepi simul refrige-
rantes. Præ omnibus autem toto curationis tempore vi-
rium ratio habenda est.

Recip. Aquæ borag. bugl. an. unc. iij. cinnam. cydon.
unc. unam, Spir. ros. Scrup. ss. Syr. de rub. id.
unc. ss. M.

Recip. decoct. hord. cum C. C. libram jss. Syr. flor.
tunic. de succo ceras. nigr. an. unc. ss. Spiritus
vitrioli phil. pro grato acore.

Recip. conf. acetosell. pulp. citri an. unc. j. Spec. de
hyac. drachm. j. marg. præp. Scrup. j. Spir. ros.
Scrup. j. M. cum Syr. flor. tun. f. l. a Electua-
rium,

§. XLVII.

Externa multifariam hic possunt adhiberi. Dum
pulsui & cordi epithemata applicantur ex aq. carf. meliss.
aq. & Aceto ros. Bezoard. addit. p. confort. fruct. rub. id.
&c. ad eruptionem macularum promovendam ol. camom.
amygd. amar. scorp. addito tantillo Nitri, quibus corpus
calidè inungendum, Prædicta itidem epithemata tepida
applicentur, ne à frigore retrocedant maculæ.

§. XLIX.

Symptomatibus, quantum possibile, occurendum.
Vigiliis & Dolori capitis emuls. ex sem. 4. frig. pap. nucl.
per sic. Aqua ros. nymph. vel oxyrrhod. ex ol. & Aceto
ros.

ros. & p. lignirhod. fiant pediluvia ex herb. frig. fol. vit.
malv. lact. salic. hyosc. cap. papav. &c. pedibus Sale & Ace-
to mundatis radices raphani minutim incisæ alligentur &
subinde renoventur. Sopor interdum nimius est, vene-
no spiritus animales Sulphure quodam narcotico inficien-
te: Ubi Clyster. acres, ligaturæ dolorif. commendantur,
plantis pedum ferm. acerrimum, cum sapon. ven. ruta ace-
to & sale supponatur. Errhina, Sternutatoria leviora,
Acetum rutac. naribus admotum &c.

Linguæ siccitati & nigredini Aqua semperv. Ros.
prun. rob. mor. Nuc. lap. prunell. &c. consulimus.

Reliquorum symptomatum cura ex suo loco peten-
da, cur enim totam totam ferè Medicinam practicam hic
adumbrarem quod necessariò fieri deberet, si omnium
symptomatum hīc occurrentium curam proponerem. Al-
vi tamen fluxus facienda est mentio, hic enim exercitatis-
sima etiam ingenia maximè exerceat, dum in dubio res est,
an coerceri debeat nec ne. Si enim non coērceatur, vi-
res dejicit, fin coerceatur materia venenata non excerni-
tur. Monent hīc practici colliquativum seu vehemen-
tem necessariò sistendum esse theriaca, laud. opiat, sudoriferis adstring. v. g. bolo &c. moderatum verò toleran-
dum & Clysteribus quodammodo moderandum.

§. XLIX.

Supereft fons diæteticus : In quo ratione aëris Æger
in loco mediocriter calido, & à frigidì aëris afflatus munito
detinendus, cavendum enim ne retrocedant petechiæ,
quod facilè fieri posse quotidiè experimur ; Hisce retro-
pulsis

pulsis materia maligna coagulata ad partem nobiliorem ruit, febrim quoque auget, si enim pori aperti non sunt, effluvia adusta etiam foras non evaporant, hinc magis magisque sanguis effervescit febrisque acceditur.

Ratione alimentorum primis diebus danda ptifana hordeacia, juscula carnium, postea carnes vitulin. pullorum, capon &c. concedi possunt. cibi condiendi succo citri, pulveres confortantes admiscendi, si alvus obstructa sit pruna dulcia cum passulis cocta & eorum brodium, si nimis laxa amygd. emulsiones commendarem. Pro potu ordinario sit cerevisia tenuis aut ex decoct. hord. cum C. C. paretur Julepus. A vino abstinendum. Quanquam in acutissimis febribus eo quidam utantur, Hippocr. in febre ardente 2. de morb. f. 61. dari jubet vinosum album. Si quis vino assuetus admodum flagitaret, ego quidem sub poena capit is non prohiberem.

Somnus ratione symptomatum modo provocandus modo impediendus. In augmento tamen satius est plus solito vigilare. De motu nil habeo quod dicam, cum ægro satis interdictus sit. De excrementis jam fui solicitus. Quod ad animi pathemata, nil melius est, quam bono animo esse ægrum & omnem metum abigere. Timor enim quid valeat, supra dictum.

Nihil itaque superest quam ut Deo T. O.M. maximas agam gratias, lectoremque B. adhorter, si quæ minùs commodè minusque congruè dicta sunt, ea partim humanæ fragilitati ad lapsus pronæ, partim meæ tenuitati, cuius probè mihi conscius sum, maximè autem festinationi adscribat; Officii enim spartam vix pauculos dies ad hanc disce-

disceptionem exarandam mihi concessisse ii norunt qui
vitæ meæ conditionem perspectam habent.

COROLLARIA.

I.

Qualitates Fernelio aut i-
psis met veteribus occultæ ha-
bitæ non dantur.

II.

Quamvis præfracti animi
videantur esse , qui negant
circularem sanguinis fluxum,
argumenta tamen Harvejana
eiusdem roboris non sunt, ut
refutari nequeant.

III.

III.

Idem in homine est principium vitæ ac mortis.

IV.

Somnus meridianus rejici nequit.

V.

Viniusus in omnibus morbis, imò in ipsis febribus admitti potest.

VI.

Ira sèpissimè remedio est.

F I N I S.